In nomine domini Amen Anno a Nativitate eiusdem Millesimo Quadringentesimo primo Indictione nona die vicesimaseptima mensis Aprilis hora vesperarum vel quasi pontificatus
sanctissimi in Christo patris ac domini nostri domini Bonifacii divina providencia pape noni Anno duodecimo In mei Notarii publici ac testium infrascriptorum ad hoc specialiter vocatorum et
rogatorum presencia personaliter constituta honesta mulier Mechtildis Copperts relicta quondam Henrici de Hamerslach Opidana Xancten. Colonien. dioc. sponte non
coacta eiusque voluntate libera ut prima facie apparebat pro se suisque veris et legitimis heredibus et successoribus simpliciter et absolute pro una certa pecunie summa sibi
ut asseruit tradita bene numerata et integraliter persoluta vendidit necnon ore et manu per calami effestucacionem omnibus modo forma causa et iure quibus melius et
efficacius potuit supportando resignavit honorabili viro domino Johanni de Merter Canonico Ecclesie Xancten. dicte dioc. sex solidos annui census pagamenti in Opido Xancten.
pro tempore legalis et dativi seu talium denariorum cum quibus annui census in ipso Opido usualiter persolvuntur singulis annis [illegible] videlicet in festo beatorum Victoris et
sociorum eius Martirum proxime futuro pro dimidia parte et pro reliqua parte in festo pasche deinde proxime insequenti et sic deinceps singulis annis perpetue et
hereditarie percipiendos et levandos ex domo sua et eiusdem domus area cum suis universis attinenciis sitis in dicto Opido Xancten. in platea nova dicta vulgariter
Marstraet inter domos et hereditates Henrici Spronck ex uno et Wilhelmi seu Wilhelmich Thruse lateribus ex alio. Promisitque ulterius dicta Mechtildis pro se et suis heredibus
de prefato annuo Censu et eius Juribus per eam vendito et resignato debitam fore Warandiam et omnem removere impeticionem et inquietacionem prout de Jure fieri
postulat Juris ordo. Promisit etiam ipsa Mechtildis pro se suisque heredibus et successoribus michi Notario publico infrascripto tamquam persone publice solempniter stipulanti
vice et nomine omnium quorum interest aut interesse poterit predictam vendicionem et resignacionem tempore perpetuo firmam ratam et gratam tenere et inviolabiliter observare
et non contra venire vel contra facere per se vel alium seu alios aliquo ingenio racione seu causa de Jure vel de facto tacite vel expresse Renuncians insuper pro se et suis
heredibus et successoribus omnibus et singulis excepcionibus defensionibus et allegacionibus universisque Juris tam Canonici quam Civilis quibus premissa omnia aut eorum aliquod
infringere posset seu quomodolibet revocare Super quibus omnibus et singulis prefatus dominus Johannes a me Notario publico subscripto sibi fieri peciit publicum
instrumentum Acta fuerunt hec in Capella sancti Johannis ante Altare sancti Johannis in Ecclesia Xancten. presentibus honorabilibus viris dominis Arnoldo de Molendino Canonico dicte
Ecclesie Xancten. et Henrico Johannis de Alius Rectore parochialis Ecclesie in Wichen Decano christianitatis Noviomagen. prefate dioc. testibus ad premissa vocatis specialiter
et rogatis.

Et ego [illegible] de Roplar clericus Colonien. dioc. publicus apostolica et imperiali auctoritate notarius Quia predictis vendicioni
omnibusque aliis et singulis supradictis una cum prenominatis testibus presens interfui ideoque hoc presens publicum instrumentum manu alterius fideliter scriptum
exinde confeci et publicavi ac signo meo consueto signavi Rogatus et requisitus in testimonium omnium et singulorum premissorum

1401 April 27

[illegible]

Stadtarchiv
Xanten

[illegible]

ij ß
Gerrit Messinghe Kuiper

ij ß
Jan Lutz vd Bongartz

N. 5.

[illegible]

Alte Nr. 47

1401 April 27

Mechtilde Copperts, die Witwe des Xantener Bürgers *Henricus de Gamerslach* verkauft an den Xantener Kanoniker *Johannes de Moerter* eine Erbrente von 6 Schillingen, zahlbar je zur Hälft an Ostern und an St. Viktor, zu beziehen aus ihrem Haus samt Hofstatt in der Marsstraße, gelegen zwischen den Häusern von *Henricus Spronck* und *Wilhelmus seu Wilhemus Gruse*. Verhandelt in der St. Johanneskapelle vor dem Johannesaltar in der Xantener Kirche vor *Gortfridus dictus Berghem de Replar*, Kleriker der Diözese Köln, apostolischer und kaiserlicher Notar. Zeugen: *Arnoldus de Molendino*, Kanoniker zu Xanten und *Henricus Johannis de Clivis*, Rektor der Pfarrkirche in Wijchen und Dechant der Christianität Nijmegen.

Notariatsinstrument, Original, Pergament.

Auf der Rückseite: „*H. Buesken baven Derich van den Geest, beneden Jan …; Henricus D… baven…. Spronck, beneden Derich van Holte; Derich Messemeker*“ (verm. 15. Jh.); „*Gerrit Messingsbuiper 6 sol, Jan Litz oder Bongartz 2 sol.*“ (verm. 17. Jh.).